

DOCUMENT VALLESÀ DE L'ANY 1180 (TEMPLERS DE PALAU SOLITÀ)

Sit notum cunctis quod ego Guillelmus de Turre dono et offero domino Deo et milicie Templi et Arnallo de Turrerubea magistro milicie et Geraldo de Chaurzino et omnibus fratribus milicie meum corpus ad meum obitum cum meis armis et cum cavallo. Si cavallum non habuero cum una ex melioribus meis bestiis quam tunc haberem. Intertantum si abrenunciare voluero seculum convenio me mittere in vestra religione. Actum est hoc VIII idus octobris anno XLIII regni Ledoyci iunioris. Signum + Guillelmi de Turre qui hec laudo et firmo firmarique rogo. Signum + Stephanie uxoris eius. Signum + Porcelli. Signum + Raimundi de Senteies. Signum + Berengarii Dolii. Signum + Guillelmi Bernardi. Signum + Guillelmi de Turre iunioris. Signum + Arnalli Guilaberti. Signum + Arnalli Dolii. Signum + Bernardi de Mogoda.

Signum + Petri sacerdotis qui hoc scripsit die et anno quo supra.

Sit notum cunctis quod ego Guillelmus de Turre bono animo et prompta voluntate ob remedium anime mee et parentum meorum dono domino Deo et milicie Templi et Arnallo de Turrerubea magistro milicie Templi et Geraldo de Chaurzino et omnibus fratribus milicie omne decimum tocus laboracionis quam vos facietis in dominio in parroechia Sancte Marie de Palacio Salatan ac ut melius dici vel intelligi potest ad salvamentum milicie de meo iure in suum trado dominium et potestatem. Si quis hoc violare presumpserit in iram Dei prius incurrat et cum Iuda traditore in geenna ignis particeps fiat et post hec donacio firma omni tempore permaneat. Actum est hoc VIII idus octobris anno XLIII regni Ledoyci iunioris. Signum [...] [els mateixos que en la part anterior].

Sit notum cunctis quod ego Guillelmus de Turre et uxor mea Stephania debemus milicie Templi et tibi Arnallo de Turrerubea milicie Templi et Geraldo de Chaurzino comendatori et omnibus fratribus milicie morabetinos cxx bonos aiadinos boni auri et recti ponderis sine engan. Propter quos impignoramus vobis omne nostrum directum tocus decimi parroechie Sancte Marie de Palacio Salatan cum nostris pariliatis quas ibi habemus simul cum nostro molendino de Lizano cum omnibus suis necessariis et instrumentis. Tali pacto ut teneatis ita quod omnia expleta computetis et recipiatis pro istis cxx morabetinis tantum quod bene sitis paccati et computetis blad sicuti venundetur de festo Sancti Michaelis usque ad festum Omnium Sanctorum. Iamdictas pariliatas laboretis bene et mittatis omne semen in tempore messium levate inde semine levato semine accipite vos medietatem pro vestra laboracione, alteram medietatem tocus blad computeate in persolucione morabetinorum. Insuper convenimus vobis esse guarentes contra omnes homines et feminas de iamdictis omnibus. Si aliquis ibi imperaverit rem aliquam habeatis totum super nostrum honorem quem habemus in tota parroechia Sancte Marie de Palacio Salatan pertenedum et expletandum tantum usque iamdictos morabetinos haberetis inde computatim recuperatos de expletis. Si quis hoc fregerit in duplo componat et postea maneat firmum. Actum est hoc (...) [com els anteriors].

(ACA, 300 Alfons I)